

Positiones medicae variae earumque praecipuae de podagra / [Franz Hesporn].

Contributors

Hesporn, Franz.
Major, Johann Daniel, 1634-1693.
Universität Kiel.

Publication/Creation

Kiel : J. Reumann, 1679.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nfgmt5uj>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

POSITIONES MEDICÆ VARIÆ
Earumque præcipuae de
PODAGRA
Quas Consensu & Autoritate Medicæ Facultatis,
DISPUTATIONIS INAUGURALIS LOCO
Pro Licentiâ consequendi Summos in
Arte Salutiferâ Honores,
SUB PRÆSIDIO
JOH. DANIELIS MAJORIS,
Phil. & Med. D. Anatomes & Med.
Practicæ Professoris Publ.
Anno 1679. Mensis Maij Die 8. Horis ante - & post - merid.
In Auditorio majore defendendas edit
FRANCISCUS HESPORN,
Corbacco Waldeccus.

KILIÆ

Imprimebat Joachimus Reumann, Acad. Typogr.

Viro Præ-Eximio, Spectatissimo, Integerrimoq;,
DN. JOSIAE CALDEN,
In Incluta Imperiali Rep. Hamburgensi
Pharmacopœo ac Cividexterrimo,
Cognato ac Evergetæ à plusculis annis suo,
sincerâ animi devotione
perpetim colendo ,
INAUGURALEM HANC DISPUTATIONEM
in Amoris constantis signum ,
& continuandi porrò boni Affectus Incitamentum ,
cum prolixo
omnigenæ Prosperitatis, Tranquillitatis ,
ac Benedictionis Divinæ
Voto

officiose inscribit
FRANCISCUS HESPORN,
Medicinae Candidatus.

I. N. I.

Thes. I. Circumspetè procedendum in determinandis Medicaminum a- gendi Modis.

§. 1.

Est quidem perutile, & res Medico Philosopho, quem Hippocrates ob multiscientiam *ἰατρού* vocat, planè digna, non acquiescere in invento ægritudini alicui, competente auxilio, in materiâ ejusdem congruè electâ, & in perspectâ virtute ejus per multiplicem Experientiam; sed eniti quoque ulterius, nulla non, ut ita dicamus, ejus in corpus assumti vestigia diligenter prosequi, ingenioseque deprehendere, quid hæ aut illæ ejusdem particulæ, in hac vel illâ parte, his vel illis Tincturis specialibus irriguâ, verisimiliter acturæ aut passuræ sint, & quatenus ex his successus rerum salubris aut non salubris, sperandus aut desperandus sit, conjecturâ haut inficetâ præsagire.

§. 2. Sed nec confidenter omnia juxta hypotheses hodiernæ Philosophiæ Experimentalis nimiùm - sapidæ, per Sal Alkali & Acidum, sunt protinus declaranda, cum forsan præterea dentur nobilioris indolis Corpora, à communi Elementorum quaternario, Sulfureque (si quod est) & Mercuriali Principio (multis adhuc dubiis obnoxio) distincta; Principiaque rerum materialia non sunt ad organum Gustus unicè, sed aliorum sæpe etiam Sensuum, stringenda.

§. 3. Et imprimis Particularum Figuras, Numerum, Taxin, & Motus Mechanicos aliosvè, accuratâ mente hariolari convenit: id quod non unicuique datum est, Medicum

Dogmaticum, Polymathiā peculiari clarum, à rudi ac mero distinguit Empirico, & à Willisio noviter in egregio Pharmaciae suae Rationalis opusculo, haud infeliciter tentatum liquet.

Theſ. II. Propriè Medicus ad Medendum non potest cogi.

§. 1. Hoc est, si ex rigore Philosophico loqui velimus, quemadmodum Voluntas, ob concreatam sibi Libertatem Arbitrii, per naturam suam cogi non potest, ut aliquis quid invitus faciat; sed contradictoria maximè sint, velle & non velle; quod generalioribus verbis, fundamentum omnis contradictionis subministrantibus, his exprimitur, Impossibile est, aliquid simileſſe & non eſſe: ita inutilis quæſtio Medico-Legalis foret, An ullo jure Medicus Christianus in casibus certis ad medendum poffit cogi?

§. 2. Ut tamen faciliores simus, capiemus Coactionis vocabulum aliquantò mollius, pro tali Actu, quo per Argumenta certi ponderis, reluctans aliquandiu Medici animus sensim, & sub conditione tali, quæ bonæ ejus existimationi non noceat, adducitur, ut voluntatem suam voluntati alterius accommodet, quodque præstare antea noluit, velit, Conscientiā videlicet vel Necessitatis inductus, vel juratæ in Magistratum jubentem Obligationis, vel proprii Officii, in casu ſcil. tali, quo Medicus curationis partem aliquam jam actu ſuscepereſit.

§. 3. Secus ſi fecerit, Ægrunique proprio auſu derliquerit, ſi quid adverſi accidat, culpæ reus erit, ut loquitur Justinianus lib. 4. Institut. de Lege Aquiliā (vel Tit. 3.) §. 5. etiam ſi gratis ipsum ab initio curandum ſuscepereſit.

Theſ.

Theſ. III. Ægri in Medicum Conſidentia ſæpe plus valet , quām præſtantissima etiam Medicamenta.

§. 1. Etenim ſi quid roboris Spiritibus eſt, (uti pluri-
mum ejus eſt) ad Temperaturam corporis variandam, adeò
ut Medici, in dirigendâ Ægrotantium ſuorum Valetudine,
inter primas Diætæ curas ponant etiam hanc, quò Animus ab
omni perturbatione liber, iſpis commendetur; utique pecu-
liaris quædam & obſtinata in Medicum potius hunc, quām
in aliū, inque Medicamentum potius hoc, quām in aliud,
Phantasie Propensio id efficiet, ut propius citiusque ad Sco-
pum convalescentiæ accedatur, quām ſi citra eandem foret:
id quod per experientiam quotidie pateſcit.

§. 2. Multūmque in praxi juvat Medicos, ut Ægri
nōn deſiderio ſolūm agantur, ſed inexpugnabili etiam ſpe
recuperandæ Valetudinis.

Theſ. IV. Soſtra Medicorum, præter- quam quod juſtissima ſunt, peculia- riter etiam ſunt privilegiata.

§. 1. Hæc Prærogativa conſtit partim in hoc, quod
Medico Salarium debeat, etiam non promiſſum, aut Ho-
norarium civiliū dicendum, illique Eventus Mortalita-
tis (à cordatis hominibus) non imputetur, ſi videlicet in
Arte ſuā peritus, diligentem ægri curam habuerit: partim
ac præcipue in eo, quod in concursu Creditorum deīm
Prioritas iſpi conceditur.

§. 2. Cum hac conditione veruntamen, ut Privilegi-

um Prælationis restringatur ad Curam saltēm, eo in Morbo adhibitam, ex quo postea Æger decessit: de quo plusculis videatur Carpzovius part. i. Constitut. 28. Definit. 45.

§. 3. Ratio Legis citra dubium fundatur in hoc, quod quemadmodum Sanitas, Felicitatis humanæ pars existens omnium maxima, non alterius externi finis, sed suū ipsius gratiā expetitur, reliquis Artibus omnibus nihil per se extendum, sed omnia externi saltem cujusdam finis gratiā efficientibus, ut nos docet Sennertus Illustris, cap. i. Instit. Ita Prælatio illis meritò tribuatur, qui Vitæ Servatores, quo ad poterant, erant optimi maximi, quo beneficio utique (in rebus secularibus) homo homini nescit præstare insignius.

Thes. V. Redditio Receptarū ex Pharmacopolio, quæ absque consensu Medici fit, non inutilis solum est, sed iniqua etiam, & quandoq[ue] periculosa.

§. 1. Receptum, sive Recepta, dicendum sit, ad denotandam Medicamenti non Officinalis, sed Magistralis Formulam, hīc equidem perinde est, postquam de Verbis altercari minimè volumus.

§. 2. Redditionem verò Receptæ, à Pharmacopæo factam nesciente Medico, aut sciente quidem, sed repugnante, planè inutilis est, quod quemadmodum impetrato fine cessat actio, ita Media quoque ad Sanandum adhibita, superflua evadunt: post semel - oppugnatum Morbum videlicet, qui cum circumstantiis exactè iisdem nunquam denuò Ægrum pristinum invasurus est. Quin potius maxima semper

per in Individuis vel Singularibus occurrit varietas, & ob hanc speciales identidem scopi ad medendum, in animo Medici variantur, quos ne Medici quidem ipsimet extranei, vel ad curam ejusdem Ægri non invitati, judicium tamen in Medici actiones de facto ferre audentes, non assequuntur afflatim, quoniam speciales Morbi ac Ægri circumstan-
tiæ ipsis sunt ignotæ.

§. 3. Adhæc duplex imprimis Injuria Medico fit, per iteratas aut reciprocantes istas Receptarum inter Pharmacopœum ac Ægrum, nesciente earum Autore, oberrationes; una, quæ bonæ illius Existimationi, altera, quæ Bursæ obest.

§. 4. Dum enim quæ semel in rem præsentem circumspectè ab ipso ordinata sunt, temerè alteribi adhiben-
tur, non minus Eventum qualemcunque sequiorem Fama, loquax malum, in culpam Scribentis convertit; quam Æ-
gri eidem abstrahantur, quo minus porrò obligentur ipsius
meritis; Pharmacopœo interim, vel septies renovante ac
præparante ejusdem Receptæ Formulam, quoties Ægri an-
cilla puervè fert.

§. 5. Quodque pejus, non desunt homines, qui non
privatis solùm, suis ac suorum usibus, in ulteriorem ægri-
tudinis & Sanationis eventum, reservant istiusmodi Formu-
las, semel ex Pharmacopolio redemtas: sed aliis insuper,
Medicum licet consulturis, easdem obtrudunt, ut sibi sal-
tem ex prospero, si porrò detur, successu, accedat gratia.
Quale quid, coram oculis DEI, species est vel Furti vel Ho-
micii manifestissima; quoniam Medico violenter amplio-
rem bene merendi occasionem amputant, omnique jure de-
bitum ipsi Honorarium præscindunt.

§. 6. Ut taceam denique, infaustè rem sæpe succede-
re: qualis erat, de quâ Disputationis Præses privatim perhi-
buit,

buit, præscriptum à se olim utiliter fuisse Viro cuidam robusto, Vomitorium, quod is Inappetentiâ Ventriculi, ex Pituitæ impactu laboraret. Post trimestre dein elatam Fœminam, consumptam Phthisi, cui idem Vomitorium ineptissimè subministratum ab Adstantibus, Exsequias acceleraverat ex eo, quod Inappetentiam quoque in illâ deprehenderint; sed à Causâ Morbi planè diversâ, h. e. exhaustis per Tabem Spiritibus, oriundam.

§. 7. In bene constitutâ Republicâ quomodo magnis Abusibus his ac Ataxijs medendum sit, non intempestivum aut difficile foret, addere: Sed nolumus longius evagari.

Thes. VI. Nova Partium Divisio in Firmas ac Fluidas, convenientior est Hippocraticâ Veteri, in Continentes, Contentas, & Impetum facientes.

§. 1. Nam etiam Impetum facientes, vel Spiritus, è numero Contentarum sunt, h.e. Fluorum: quorum alios Palpabiles ac labiles constituimus, vel Humores, alios Impalpabiles ac difflabiles, vel Spiritus modo dictos, formam auræ summè mobilis habentes aut Luminum, quæ in Radiationes certi generis cientur.

§. 2. Estque in gratiam Tironum de Partibus firmis, quas solidas vulgo nominant, monendum; Primum ut cauteant, ne solidam ac duram habeant pro unâ eademque, cum Musculi, Membranæ, Venæ, Cerebrum, corpora utique firma vel solida sint; veruntamen non sunt dura.

§. 3. Nam hæ præcipue Conditiones sunt vel Attributa

busta Partis solidæ: Immediatus & arctus Particularum componentium contactus, imò tenax earundem implexus, & mutuæ Exceptiones; perseverans aliquandiu singularum Motus harmonicus, factâ totius Corporis, aut Organi aliquujus majusculi Motione; ac demum indifferenter se ad Duritiem ac Mollitiem habere.

§. 4. Hinc de Spiritibus tenendum; in genere quidem, præcipuas Corporis Fluidi conditiones esse has, ut Particulæ illius in superficie laxius contingent se, nec mutuis sibi implexibus uniantur; ut ab extrinsecâ pellente, vel etiam intrinsecâ corporis, in quo sunt, fermentativâ vi, in motus indifferentes acti, ad nullam certam restringantur coordinationis legem aut formulam; ut indifferenter æquè ad conditionem naturæ suæ homogeneam aut heterogeneam se habeant; & ut in Agitatione sui, per propriæ Molis parvitudinem, quæ habetur in singulis particulis, perq; Figuræ Rotunditatem, haut leviter juventur.

§. 5. Ad Attributum tamen posterius hoc quod attinet, cavendum, ne Traditionibus vulgò receptis nimirum tribentes, quasi Corpora Rotunda ad Motum præ cæteris aptiora sint, & explicare volentes ex isthac hypothesi Motus sæpe celerrimos, qui de Spiritibus nostri corporis observantur, in statu tām bonā, quām perditā Valetudinis, decipiatur. Nam ex: gr: Globuli lignei utique volubiles sunt, sed in spacio libero, & ut singuli non mutuò contingent se, supra planum æquale & aliquo usque præsertim inclinatum.

§. 6. Spirituosalium verò Minutiarum Figura si talis esset, intra Tubulos Nerveos certè aut Arteriales &c. (atque sic in spaciō minūs libero, concavo, ac tortuoso) globuli plures identidem, agminatim supervenientes globulis præcedentis, in motibus suis se mutuò impedirent.

Theſ. VII. Actiones Animæ materiales pleræque non Simplices ſunt, ſed Compositæ aut Decompoſitæ.

§. 1. Communiter ſiquidem Actiones in Corpore humano in Naturales, Vitales, Animales, aut etiam Genitales ſolent diuidi, & quicquid Anima noſtra auxilio Corporis peragit, ad unam earum aliquam reduci.

§. 2. Sed certè paucißimæ earundem adeò uniformes aut puræ ſunt, quin ob texturam Organi, à quo fiunt, videantur potius ex duabus aut pluribus Simplicibus Compositæ, exemplo Respirationis; quæ vitalis Actio videtur, cum ſimul maximè animalis ſit; Sensuum item externalorum, ubi Sensus, Motus Fibrarum, & Vitalitas concurrunt; Geneanthropias veròpræcipue, in quâ omnia Factionum Animæ genera accumulantur.

Theſ. VIII. Pestis non denotat certam Morbi ſpeciem, ſed indolem quan- dam potius plurium Morborum..

§. 1. Communiter Doctores Tractationem de Pefe, ultimò subnectunt Doctrinæ de Febribus, quæ Ipsiſ reſeruntur ad primum ſummu genus Morborum, vel Intemperies: quaſi non etiam Anginæ, Pleuritides, Peripneumoniæ, malignæ ac epidemiacæ, Pefem conſtituant, quæ propriè ad Morbos Conformationis, tanquam alterum ſummu genus Morborum, dicuntur pertinere: aut deleteriæ Intestinorum Exulcerationes quoq; (quas ſequitur Alvi flu- xuſ cruentuſ ac dolens) non habeantur; quæ ad tertium ſum-

summum Genus, vel Morbos solutæ Unitatis, alias pertinent.

§. 2. Itaque tenendum, Pestis tractationem, in Medicinâ Speciali, quam vulgò Practicam vocant, propriè locum non mereri; sed reducendam ad Generalia, ubi de Accidentalibus Morborum Differentiis agitur, ac dicendum, omnem illam ægritudinem Pestem esse, quæ in eodem loco citò plerosque invadit, ac plerosque eorum citò jugulat.

§. 3. Ut tamen Majorum Autoritati meritò quid demus, addendum, Pestem nisi omnem, esse Febris Malignæ Speciem, raro tamen existere sine Febre.

Thes. IX. Ad Protestationem de Præcedentiâ, à Medicis seriò faciendam, Jcti quod hodie excipient, non habent.

§. 1. Non intelligimus hīc Præcedentiam Jctorum præ Medicis, vulgari Scommate notatam; Præcedat Fur, sequatur Carnifex. Quæ cavillatio ociosum calumniatoris primævi Inventum est, Prudentis cordatiq; Viri indignum labiis, & ingenuâ mollique Suadâ Celeberr: Dn. D. Th. Bartholini festivè discussum, in peculiari ad D. Casparum Thurmannum, Jctum Lubecensem doctissimum Epistolâ, (Act. Hafniens. Vol. 4. obs. 81. pag. 189.) quâ docet, convenienter Doctores Juris & Medicinæ sæpe haberi in unâ eademque personâ, tanquam communi Astreæ & Apollinis contubernio; Medicosque non minùs olim extitisse, quam hodienum passim fieri Senatores & Consules Urbium, Assessores in Tribunali Justitiæ, aut Consiliarios Principum:

§. 2. Nam utriusque Functionis Homines ad unum Finem conspirare; Honestè videlicet vivere, Alterum non

Iædere, & Suum cuique tribuere ; tâm Justitiam, quâm Sanitatem.

§.3. Sed aliam quandam majoris momenti rem, inter ipsos met Medicos à quam paucis perspectam, hic innui-
mus ; & seriò tandem ac solenniter Protestamur, injuriam,
si ita loqui liceat, in multis casibus fieri Causæ Morbificæ,
dum præjudiciale, ac supinâ nimium credulitate, pro Effectis
habentur : Effectis contra aliquibus, vel Symptomati-
bus, indignè Præcedentiæ titulum conferri, ut pro Causis
habeantur.

§.4. Quorum utrumque cum Ægroti periculo con-
junctum est. Nam si fidem meretur Ciceronis egregii Effa-
tum, Medicos inventâ Causâ Curationem habere facilem;
quis è contrario non videt, quâm dubio Eventui se ac Æ-
gros suos committant, qui ultra Empiricam qualem cun-
que peritiam non progressi, verisimilem morbi Causam, à
secundario Pathemate vel Effectu distinguere nesciunt, &
sic lubricæ basi superstruentes minùs accuratam Medendi
Methodum, ne Erroris quidem Suspicionem habent ali-
quam, sed vel Luctatorum more, obligatis cum Hoste o-
culis congregiuntur, vel tanquam Viatores, amissâ viâ re-
giâ, in Sylvis incognitis vagantur.

§.5. Quæ ut liqueant clariùs, pauca saltem exempla
producemus, quæ memoriæ nunc subeunt, accuratiùs pon-
deranda, à limatiōribus Ingeniis.

§.6. Illorum primum est, quod vulgo putant, Ir-
ram ex Bilis exundantiâ oriri; cum potius illam sequa-
tur hæc: id quod infra distinctius patebit, quando de Irâ di-
cetur, tanquam Causâ occasionali Podagræ.

§.7. Alterum est, Hepar male affectum, quandoque
dici causam Hydropis, ichoroforum suppeditantis Sangui-
nem;

nem; cum potius malè affectis Abdominis partibus, & serpente altius altiusque intestino diluvio, non posse non Hepar tandem ipsum quoque in partem calamitatis protrahi, ac foris primum, hinc in penetralibus contabificè affici, nullâ amplius medendi spe relictâ, ob contractam undique *έκρωσιν*.

§. 8. Tertium est, Suppressionem Sanguinis Menstrui aut Hæmorrhoidalis, in aliquibus Subjectis fieri Causam Cancri; cum multò frequentius accidat, ut ex Cancro utcunque confirmato, exulcerato, & cuniculos agente, ob Sal fermentale destructivum, partemque mortificans, in totum tandem subrepens sanguinem, Fermentum hujus nobile alias, quod inservitrum Menstruæ expurgationi semicriticæ promovendæ fuisset, pervertatur in Fœminis; aut Hæmorrhoidalis consueta Evacuatio, simili modo in Viris sufflaminetur.

§. 9. Quartum est, Scabiosorum Saniem, in Pustulas elevatam, esse partem immundi Fomitis, à naturâ ex Sanguine eò propulsi; cum potius Vermiculi scabentes, & tanquam Talpæ omnium minimæ, Cutim suffodientes, cum indifferentiâ ad Cacochymicum vel non - cacochymicum corporis habitum, sint Causa Purulentæ istius Colluviei, eâ ratione, quatenus morsibus suis, præsertim circa Lunæ crescentis tempora, à Poro uno in alterum se penetrant, inque tenerrima Cutis stamina debacchantes, clàm eandem exulcerant: unde humor subtilis transudat, & collectus cum tempore in diverticulis extra vasa, subacescit ob moram, & ob inhærentiam simul fibrosarum partium, superventu caloris finitimi, spissior demum redditur ac saniescit.

§. 10. Quintum denique verisimiliter est, Phlegma viscidum, Tussi per vices ejectum, haberi Causam Tussis,

cum potius videatur quid, culpâ Irritamenti externi, per iteratas Tussiendi necessitudines violenter expressum, ex membranâ aut vasculis Annulorum asper- arterialium.

Theſ. X. Apathia Pyrophagi Hamburgensis (des Feuer-Fressers) nec Miraculosa fuit, nec Dæmoniaca, sed Naturalis prorsus, & quadam tenuis Simulata.

§.1. Rarioribus certè Palati deliciis (nisi Luxoriosis ejusdem Tormentis dicendis rectius) & nec imitandis à quolibet, annumerandum, existisse in Mundo Mulierem, quæ ut Carbonibus aliæ, sic Cespite Bituminoso, non potuerit saciari. Alia, nec non Masculus aliquis, Calce vivâ fruiti sunt avidissimè. Identidem alia ipsas viginti libras Piperis voravit. Neque desunt adhuc, qui calidissimas Offas impune sorbeant.

§.2. Vel priori etiam illi, cui Calcem deglutire, ita Lychnos cum Ellychniis, ludus jocusq; tantus existit, quanta sæpe voluptas fuisse, de Claudio Lotharingio scribitur, calidâ Boum Merdâ frui. Proh quanta Fercula! sed nec Munditie cedentia nubicolæ Tabacibihonum genti.

§.3. Qui Nicotianistæ sicut ex Faucibus Furnum, ex Salivalium Ductuum aperturis, Theras plusquam mephiticas, suillo quovis St: in amoeniores, & ex Gingivis Cloacam servidi halitus faciunt; ita nil tandem deesse amplius videbatur, quam ut Vulcanus ardens acrutilus ab Homine, etiam in Vias Alimenti admitteretur.

§.4. Quale quid demum præstítit inusitatus quidam Carbo-

Carbonum, Picis, ac Sulfuris Helluo, qui vel Tantalo siti-
bundus magis, vel Salamandrā frigidior, æstuarioque vix
ullo læsus, Incandescentias sumimas visus est, non tam mani-
bus tractare, aut pelle nudâ impunè excipere, quām fau-
cibus in ipsismet (quod stupendum) supra Linguam sēpiùs
volvere ac revolvere, lambere, degustare, & tantum non
absorbendo, tanquam carnes & jūscula, secum abscondere:
quem si viveret amplius, Heclæ, Ætnæ, ac Vesuvii omnes,
cum Vulcanis hinc inde & Fratribus Ignivomis reliquis,
ne & ipsos abliguriat, haut parum sint verituri.

§. 5. Res autem serio sic se habet: Anni prægressi
Mense Novembri Agyrta quidam, floridæ Ætatis, natione
Italus, Hamburgi in Foro aliquoties, aut Circulo Specta-
torum publico spopondit, Ignem luculentum Se devorare
velle, aut quævis Fervida alia. Locoque Speciminis, ex
Foco portatili Carbones vivos exemptos, partim in linguâ
detinuit aliquandiu, partim planè deglutiit, aut deglutire
à Circumstantibus est judicatus. Eosque vel nudè, sine ad-
ditamento ardentes, quos Folle identidem afflari fecit, us-
dum carnis particula, quam intra Dentes etiam tenuit, assa-
retur; vel Sulfure insperso etiam fervidos, ut flamma ex
faucibus coruscaret. Quin & Ferri igniti frustum linguæ
affricuit, forcipe arreptum: idem tamen haud æquè diu
Dentibus detinere potuit. Demùm Offam Picis, Resinæ, ac
Sulfuris liquati Sibi paravit, de quâ quantum cultro ligneo
longiore vel Rudiculâ excipere potuit, aliquoties assumens,
devoravit, ut sibilus etiam ex gutture audiretur, Fœtorque
nares feriret adstantium. In Aulâ Electorali Dresdensi pro
Mago aut Præstigiatore primùm habitus est; hinc Servestam
ac vicinas urbes, & postremò quasi, Hamburgum adiit: in
quibus omnibus admirandum Pyrophagum præstitit Se, Ar-
tis.

tisque suæ Magisterium quinquaginta Imperialium prelio quemvis docere pollicitus est: donec non ita pridem in Celiensi Aulâ vel urbe (uti relatum est) acceptâ per errorem in os, alieni nec sibi familiaris Liquoris portiunculâ, quæ super-assumtorum deinde Fervoribus resistere non poterat, Juscula isthæc nimium calida, Ipsum strangularunt.

§. 6. Unicumque exemplum simile, ut cunque antiquius, hujus tamen seculi, novimus, quod Petrus Servius, Medicus Romanus (d. Unguento Armar. in Theatro Sympath. p. 540.) affert: fuisse in Piceno quendam, Martinum Cechonem, qui Carbones candentes Manu diu tenere, Dentibus conterere, & Palato extinguere suetus, Ano etiam eosdem inserere, ac Natibus nudis, Pedibusq; calcare; insuper Linguanam fervente Lardo diu perfundere, vel sub eadem, Candalam ardentem proximè ponere; ac inaudita alia agere non dubitarit. Sed Causæ per vestigatio, de Apathiâ Ignivori Hamburgensis præcipue, nos curiosiores habet.

§. 7. Aut itaq; Angelus Domini in isto tempore peculiariter forsan ipsi adstitit? Quis verò tam impius, ut Deum miraculosè hic intercurrisse, pronunciare ausit? Ad Artem adeò vanam ac futiliem?

§. 8. Aut erant Præstigiæ Magicæ, auxilio Diaboli acquisitæ? qui sicut Maleficos haut raro in Tormentis stupendo ad tempus stupore afficit; ita censeri possit, in proposito casu aliquid suprà vel infra Naturam Ignis contulisse. Sed præterquam quod in reddendis Mirarum Actionum causis, si adæquatas non statim possimus animo consequi, Simplicitatem quandam arguit, nescio quos Spiritus Familiares occultos accusare velle: imprimis hoc tenendum, Diabolum supra Naturæ vires agere nequaquam posse.

§. 9. Aut Agyrta Narcoticum aliquod, vel Liquorem obstu-

obstupesfactivum, Linguæ prius affricuit, nè caustica Igni-
um spicula dein sentiret? Ut verò non urgeamus, dari Nar-
cotica præsentanea perquam rara, quæ ubi Parti alicui
stuporem induxerint (præsertim crebriùs largiusque appli-
cata) auram sui non mox diffundant latius, totumque ho-
minem torpidum ac segniorem reddant: id maximè te-
nendum, quod Spectatores accuratiores testati sunt, tenuis-
se illum Carbones non diu in eadem parte Linguæ, sed ultrò
citroque in Faucibus revolvisse. Et, si quid Fervidi præter-
ea planè deglutiit, quomodo Narcoticum potens, quod a-
ctuetiam prius haussisset, opponere iisdem impunè potuisset?

§.io. Aut Idem Sensorii Organi vitio clam laboravit? Id quod contrahi solet vel ex Morbis prægressis calidioribus, Nervulos ultimos balsamico suo Fluore destituentibus, vel statim ab altero, ex pravâ Conformatione; prout in disse-
cto cujusdam corpore, qui vivus Vitrum, Lapidem, Ligna, Pisces vivos, ac alia Animalia sæpiùs devorarat, Anatomicus insignis, Columbus observavit, Nervorum vulgo dictum. quartum par, non ad Palatum aut Linguam, sed reflexim ad Occiput iisse, citante Jonstono (cap. 2. art 2.) de Admirandis Hominis. Sed hoc pacto artem suam, 50. Imperialium pre-
cio aliis oblatam, vendere non potuisse veraciter: neque Stupor organi, quo quis ignem non sentit, Incombustibili-
tatem infert simul, ut Empyreuma etiam non succedat, à quo tamen Agyrta penè se tutum præstitit.

§.ii. Aut Gradus ac Tempus certum peculiariter ipsi notum existitit, quo Flamma vel Ignis luceat, sed non urat? quem statum ignis purum, & Spiritum illius ex puritate istâ indemnem, ex professo novissimè declarare annisus est Disputationis Præses cap. III. nuper-editæ Dissertationis de Ferro Radiante. Ast ex historiâ Casus discimus, ab Ipso nul-

Ium Temporis aut Luciditatis discriminem fuisse observatum.
Imò assumtam intra os Picem liquatam, ac alia Fervida, quæ
fumosè saltem sine Flammâ aut Luce incaluerunt.

§. 12. Aut Fervidis rebus, in eadem Corporis parte,
Moram diu non indulxit, sed jactans eadem ultrò citròque,
Linguâque præsertim volvens ac revolvens, ut jam ante in-
nuimus, utcunque sibi cavit ab Empyreumate? Quæ prima
Præsumptio est, quâ hominem à Magiæ Suspitione liberamus.

§. 13. Aut dolorificas utique aliquas Faucium Adusto-
nes fortè sensit, sed consuetudine durâ nimiùm, per quan-
dam Phantasiæ contumaciam, Spirituumque in aliud Obje-
ctum Recessus, masculè dissimulans, omnem Tormenti ve-
hementiam, Ambitione lucri superavit. Id quod alterum
est, quod citra Præstigias aut Fucum intercurrere in illius
Personâ potuit, si obstinatum saltem Mutii Scævolæ, in pla-
nè comburendâ propriâ manu, Imaginationis impetum
consideremus.

§. 14. Aut denique Arcanum qualecunque Fervoris
Reprimendi Adminiculum in promtu habuit, quo Fauces
irrigavit. Et hoc tertium, idque præcipuum est, quod de
Inoffensione Illius honestâ suspicamur. Cujus præsumptionis
Fundamenta addimus non sicolnea hæc: 1. ut expressè in Hi-
storiâ Mortis de eo superiùs dictum est; periisse homi-
nem ex eo, quod Errore ductus, Liquorem ante Prunas ali-
um ore exceperit, quâm sibi familiarem. 2. Perceptum e-
tiam ex Faucibus Sibilum, cum Fœtore; ac 3. in Chimiâ for-
san non desperari Modos, ad diversa pervenienti, Ustivos
Ignium Radios Reprimendi, aut Retundendi Media. Sed
velum Sermonis contrahimus, & ne nihil tamen dixisse vi-
deamur, Lectorem, aliquam Experimenti viam ingredi cupi-
dum, intereà ad pridem Typis impressum locum, qui de cer-
tâ tra-

tâ tractatione Vitrioli ac Sulfuris, in Medici quondam Veneti, Petri Mariae Caneparii Tractatu de Atramentis exstat, paulò ultra medium Capitis I. Descriptionis 3. quæ de Atramento Sutorio est, amicè alegamus.

*Theſ. XI. Ad Pulcritudinem, ut fit
Signum bonæ Valetudinis, sola Li-
neamentorum Symmetria non suf-
ficit, sed moderatæ Rubedinis at-
temperatio addenda.*

§. 1. Extra Controversiam est, Protoplastos initio maximè sanos fuisse, quoniam Immortalitati destinabuntur: alias Anima Sancta habitas et in fragili diversorio. Et quia optimè sani erant, par erat, ut etiam essent pulcri: nam exquisita Sanitas Nævos omnes excludit, & conformatio-
nitia.

§. 2. Jam quo usque saltem ad mediocrem aliquem gradum prosperæ Valetudinis licet tendere, videmus, Floridissimos etiam Homines, sed vel in loco obscuro ad Flamman accensi Sulfuris, vel per Vitrum, colore cœruleo rubrovè tinctum, vel interdiu etiam per Prisma triquetrum ad spectos, aut Moriones, Faciem, cœterà bonam, fuligine aut coloribus aliis pictos in Comœdiis, reddi deformes penitus, seryatâ Partium omnium Symmetriâ, & Architecturâ, ut ita dicamus, earum harmonicâ.

§. 3. Quod propterea notent illi, qui curam habent Mundi Fœminei, ne chlorotica vel pallens Facies, ex pigmentis aut esu absurdorum, facile ip sis concedatur.

§. 4. Quantum cedit Rosa communis pallida, Purpu-
C 2 ralcen-

raſcenti odoriferæ Centum Foliorum; tantum moderata Rubedo, à centro saturati coloris sensim in Album diffusa venustulam reddit Faciem, in Sacris etiam commendatam, Cantic. 5. v. 10: *Dilectus meus candidus & rubicundus, ele-ctus ex Millibus.*

*Theſ. XII. Lac ex Mammis Virginum
niſi Præſumtiones validiores con-
currant, non eſt Signum amissæ
Virginitatis.*

§. 1. Si JCti ac Medici superiorum temporum re-ctiūs intellexissent Originem, Naturam, Vias, Tempus, Motumque Lactis, quod à Chylo, ut gladius ab ense discre-pat; supersedere à Casuistis, ac tricubitalibus Autoribus aliis laboriosè evolvendis, pridem potuisent in Casu ſu-pectæ Virginitatis ob proſiliens Lac.

§. 2. Quod ſanè eſt Humor, ad nullum Sexum, Æ-atem, aut Tempus peculiariter restrictus: Sed eſt Fluor universalis nutritius inchoativus, ex Intestinis, post alimen-ti Digestionem blandè ſcaturiens, & exundans, quorū ſum-cunque & quandocunque potest, ſi plusculum ejus ſit, quām ut converti in uſum Sanguinei Animalis poſſit; ſiq; Im-petus ſuperveniat, & viæ ſint apertæ.

§. 3. Unde fit, ut non Mulieres ſolūm, h. e. Fœmi-næ virum paſſæ, ante & post partum, imò ſaþe longiſi-mè post hunc, mammarumtenūs iſthoc Latice candido rigentur; Sed vel Infantulis recens-natis, ſat ubertim ex papillis effluat lacteum quid. Lactescunt Pueri paſſim in-nuptæque Puellæ, Juvenes, Virgines; nec non Viri mam-mosi.

mosi, ac præ cœteris succulenti, si Suctio præsertim accedat, aut frequens frictio: ut alicubi etiam Caseus ex Virilacte sit confectus. Cujus Lactescientiæ exempla pluscula ex Hippocrate, Abensinâ, Vesalio, Gemmâ, Camerario, Cardano, Vega, Schenckio, Benedicto, Eugubio, Donato, Aquapendente, Santorello, Castello, & Walæo adducta vide apud Celeberr. Dn. D. Thomam Bartholinum, in suâ Anatome, ubi integræ cujusdam in Scaniâ Familiæ Lactiferæ meminit: & tam ipse, quam longè ante illum, Paulus Zacchias (Quæst. Medico-Legal. lib. i. Tit. 3. quæst. i. §. 22. pag. 56.) ex Mercuriali & Baricello autor est, in Novo orbe Viros penè omnes, Lactis copiâ abundare.

§.4. Quin imò non ex Mammis solùm, quarum glandulosæ delicatulæque texturæ lactifica quædam Vis communiter attribuitur, (copiosius licet) Primus ille Hominum Potus elicetur: sed vel per Uterum quoque hauriarò; ut Fluor Albus diutiùs durans, Atrophiam tandem inducat Corpori. Ut taceamus, quæ de Nutritione lacteâ Embryonis per Os hîc addi possent, Cramben toties coctam ab aliis si vellemus recoquere: addereque exempla eorum, quibus à jentaculo recentibus, ex Venâ sectâ, numero distincti Humores duo, Sanguis puta rubens, ac Chylus Lacteus, junctim effluxerunt, sicut Tinctura Santali ex Patella per tubulum phiolæ, lactis plenæ, ac inversæ, manifesto adscendit, ut hi duo liquores mutuò sibi occurrentes, distinctim videri possint. Atque sic Chylus, Sanguini recens-confusus, non statim in poros ejusdem recipitur, sed Circulatio-nes cum ipso per Corpus subit aliquas, antequam ipsi inti-miùs uniatur.

§.5. In Summâ: Lactescunt Mulieres, sed non solæ ac semper. Atq; si Graviditas ex præfetiâ Lactis præsumenda foret,

ob Menses obstructos; totis quasi Mensibus primis quatuor Lac ipsis non deficeret, quoniam Menses ordinariè cum cessa-
sant. Quid dicemus, quod in his oris nihil frequentius, quam
ut fœminæ, Serosioris Temperaturæ, etiam pridem gra-
vidæ, & destinatæ Lactationi, suas tamen nihilominus pa-
tiantur Lunulas, ad medium tempus usque?

§. 6. Ex quo patet, neq; Menses Suppressos esse Cau-
sam Lactis Fœminei adæquatam, sed regurgitatione qua-
dam, & per accidens, in corporibus succosis sursum tendere,
quærereque sibimet viam, quâ patet exitus: Si præsertim
Spirituum Impetus superveniat. Nec Virginum lactescen-
tium castitatem ex solo Phænomeno hoc, esse in dubium
vocandam.

Theſ. XIII. Coctio ſicca, non implicat Contradictionem.

§. 1. Sufficit enim adesse, Subtiliorem Fluorem alium,
non madefacientem manus, qui pulverem subtilissimum agat
in Bullas, Igne ſupposito; ut in Coctione Alabastri vel Gypſi,
pro artificiali conficiendo Marmore videmus.

§. 2. In Chimiæ ac Metallurgiæ parte Pyrotechnicâ,
operatio talis ad Toftionem vel Assationem redigitur, cu-
jus beneficio ea, quæ intus humida ſunt, ac foris ſicca, ſic-
ciantur Caloribus, ut Minutiæ humidæ in Metallo,
aut Lapide fluxili, Marchasitis &c. ſuperſtitie, provocentur.
Indeque Lateres Murarii varii cæteroquin, Cocti rectè di-
cuntur, quamvis nullus ipsis liquor affusus ſit; & Calx co-
quenda apud Justinianum, in Institutionibus (lib. 2. tit. 3. §.
2.) h. e. concremanda per Ignem Reverberii, ut abdita de-
mum qualiscunque Humiditas expiret.

§. 3. Uſtu-

§. 3. Ustulatio verò est Tostio imperfecta, vel inchoata Assatio; ad Siccitatem omnimodam inducendam insufficiens, ob penuriam caloris, qui motum particularum interiorum in materiâ combustibili incipit, sed ad finem non perducit.

Theſ. XIV. Ad Spiritum Rosarum laudabilem parandum, præstat gemmantes assumere, quām aper-tas.

§. 1. Posterius communiter fit in Officinis Pharmaeuticis, ut sine moderamine Putrefactionis vel Fermentationis, per simplicis Destillationis laborem unum ac alterum, Ministri se citò expedire possint, nescii, quām Rosæ ab ipsis assumptæ, non viribus integris ampliùs, sed per ætatulam qualemcunque jam defloratæ sint.

§. 2. Cum enim oleosæ ac volatiles earum Particulae, Spiritu totius Fruticis fermentatore actæ, in continuo per teneram foliorum floridorum texturam motu sint, facile colligere est, quanta illarum jactura sit, à primâ roſei calycis vel gemmæ Rupturâ, usque ad plenam (aut mediocrem saltem) Floris totius Expansionem.

Theſ. XV. Fonticuli plus noxæ plerumq; quām utilitatis præstant.

§. 1. Quamvis enim ii non simus, ut mordicūs ob-luctemur omnium quasi populorum, à tot seculis, judiciis testimoniosvè, expertorum, in plurimis Morbis esse Remedium id præstans ac utile, imò in casibus aliquibus etiam neces-

necessarium, præcipue in Affectibus Captis: Paucissimi tamen damnum, quod inevitabiliter complicatur, cum commodo, de quo gaudent, recte computant.

§. 2. Cum Atrophiâ subrepente videlicet, quæ vix videtur evitanda. Per eundem Fonticulum enim, quo visibilis, palpabilis, atque sic crassus Humor, quotidie transsudando egeritur, quis putet, Spirituum balsamicorum egressui viam intercludi?

§. 3. Quorum jactura proin quam non exigua sit, ex subtilitate eorum, motus agilitate, aperturæ, per quam sine impedimento continuò exhalant, vel Fonticuli diuturnitate, argumentum est meritò petendum, prorsus sicut de Rossis dictum est. Ut de dolore & incommodis aliis, quæ gestationem Fonticulicæteroquin circumstant, nil addamus.

§. 4. Unde consentaneum viderur, quandiu peccantis Humoris eliminatio procurari potest per vias alias, ad hanc auxilii materiam esse non facilè, aut non nisi Ægro summè urgente, deveniendum, præmisso Prognostico.

Theſ. XVI. Febricitantibus ſæpe Bezaardicafiunt Venena, Si Potulenta rigidiusculè negentur.

§. 1. Intelligimus præsertim Febre Morbillari aut Exanthematicâ quavis alia detentos, eosque facilè perspirabiles. Quibus quin Liquida crebriùs concedantur, nulla prægnans dubitandi ratio supereft.

§. 2. Quantum Laticis enim per Poros transivit, tantum per Os derivare in Corpus, tanquam Machinam hydraulicam, iterum convenit, tum ne Venæ per exæstuationes Febriles ac Sudorem crebrum depletæ ſiciores

eiōres reddantur; & Miasma superstes, Sanguini firmius imprimatur; tum ut diluatur id tantò melius, & Paroxysmum totius Morbi unicum, sensim ac sensim mitiorem reddant.

§. 3. Contrà per præstantissimos etiam Pulveres Bezaardicos, aut expulsivos alios, à Medicis cæteroquin polyphemis, superstiosâ Vehiculi liquidi parsimoniam suppeditatos, antecedentibus annis passim, tanquam per Venena exhibita totidem, Ægrotantium multos, præsertim puellas ac pueros, jugulatos fuisse, qui facile servari potuissent, haut temerè pronunciamus.

Theſ. XVII. Fruſtra torqueri ſe patiuntur, qui in Glaucomate, vel etiam Amauroſi, ab Acu auxilium expeſtant.

§. 1. Utrobius enim non tam abundat Humor exoticus aliquis, per Vasa Tunicarum aut Medullares Expansiones Nervi optici, intrò in oculum, ad delicatulam ibi Humorum, omnium purissimorum, Apothecam ductus, prout in Hypochysi aliàs, vel Suffusione, inter Pupillam & Lentem Crystallinam, Tenebrisosi quid sensim concreficit, Visionique obest: quàm necessarium quid deficit. Quapropter ubi nihil peregrini, Viſumque morantis adest, ibi per Acum ophthalmotomi nihil etiam potest abigi.

§. 2. Ac in Glaucomatè quidem, plerumque incurabili, crassities Globi Crystallini ac Durities habetur penè insolens, orta per Exſiccationem, culpâ Senii, aut ex causis intervenientibus aliis: dictæque Partis Textura, purissimo

D

vitrō

dicus peritus adsit, alacriter suo fungens officio; si Æger obtemperans, nec viribus orbus, aut Senex admodum; si Tophi non ingravescant; & auxilii imploratio non ultra Paroxysmi vigorem diutiùs differatur.

§. 4. Quicquid occlament Ægri, per indomitæ impatientiæ dedecus sibi saltem formantes Equuleum, sub cuius duritie ocientur; auspiciora omnia communis præjudicio, Medicina Selectior hodie exhibet: modo quis Humorum, præcipue dominantium, Motusque Spirituum, cum Mechanicis eorum agendi Modis, ac Perspiratu Corporis, bene cognitos habeat. Ita certè Remedii Inventio facilis, si Pneumatica & Hydraulica simul consulantur, in promtu erit.

§. 5. Non tamen est facile curanda, ob duplex præcipue Cacoëthes hominum; postquam nihil frequentius, quam ut post triumphatam quantumvis Podagram, ubi dein ex causis planè alienis Æger in Morbum aliud inciderit, Honorarii exhibendi controversiam moveant Medico, & cum eo remerè, tanquam de Podagrâ retropulsâ altercentur:

§. 6. Vel Paroxysmos Dolorum Ipsimet, propriâ suâ culpâ protrahant, à quibus evadere, aut quos mitius ferre possent, si præjudicia saltem deponerent, nec superstitione aut firmiter adeò, Doloribus suis auscultarent.

Theſ. XX. Podagræ Pertinacia magna sui partem in Præjudicio consistit, aut Opinione.

§. 1. Nullus enim Dolor tam acutus, tam ferox, ac refractarius est, quem velut Exaggeratio arbitraria certò exasperat, ita generosus ipsius contemptus, sedata mens, & diligens Phantasias ad aliud quid Abreptio, non leniat aut tollat,

lat, fidem facientibus Exemplis eorum, quos vel Meditatio
constans Irritamenti molesti oblivious reddidit, vel subi-
taneus etiam Fulminis fragor, aut Incendium Domus, aut
Ruina ejusdem imminens, aut Insperatus Nuncius lætus, le-
cto excusit, ut Peripatetici redderentur, qui sedendo anteā,
nimiū quantum erant Socratici.

§. 2. Id quod imprimis de Illustri Barone, Friderico
à Tieffenbach, Duce quondam rebellis Exercitus Moravici
tenendum, qui Oeniponti An. 1621. d. 17. Jun. St. N. Hem-
cyclo portatus ad locum Supplicii, visoque dein Carnifi-
cis Gladio, subito horrore Se in pedes erigens, vanâ Gratiae
Spe, cum omnium stupore, huc illuc aliquandiu ambula-
vit, donec stans capite plecteretur, ut ex Theatri Europæi
Tom. i. Jacobus Balde (Solatii Podagric. membr. 74.) me-
morat.

§. 3. Sunt utique Spiritus Nerveo · medullares, prom-
tissimi Mentis nostræ Satellities, & Perpetua quasi Mobilia,
Phantasie nutibus, lubens obtemperantia. Unde plurimum
refert, ut quis Speculatione Doloris, præsentis ac futuri, se
minimò maceret, eidemyè auscultet; & quæsito potius
Meditationis objecto alio, Spiritus errabundos in viam ducat.

§. 4. Quod quidem plenè efficere, non semper in
potestate hominum est, ob plura identidem Salia hispida, in
Partem affectam confluentia: unum tamen ex maximè ne-
cessariis esse, Animum etiam in Podagrâ sedatum habere,
tam certum est, quam Impossibile ceteroquin est, rectè
philosophari, nisi Animus itidem fuerit ab omniante o-
mnia Præjudicio purgatus.

*Theſ. XXI. Vina Hungarica, aut alia
pro Calcosis vulgo habita, præcise*

ob id non sunt pro odagrificis habenda.

§. 1. Experienciae consentaneum est, in Hungariâ, Austriâ, & finitimis Regionibus, ubi Cerevisiæ parum, plurimum verò Vini bicitur, Podagricorum familiam esse, quâm alibi, numerosiorem. Et ex eo ab Annis jam benè multis culpa continuò in Vina, tanquam Alimentum familiare, quod etiam Morbum popularem suppeditet, est rejecta: quasi videlicet Illa (præsertim in calcariis aut cretosis locis crescentia, Partibusqne Nervosis credita præ cæteris inimica) ad exhibendos Tumores ac Tophos Podagricos, materiæ vires subeant, Tartarum crudum ac pungitivum largè subministrando, qui dolorificè dein Articulis impingatur.

§. 2. Paulò aliter verò se Rem habere, sequentia evincent. Primum enim, Vina benè defœcata Hungarica, (præsertim Toccaviensia) aut alia generosa ac tenuia, Tartari multò minus, quâm imbecilliora quædam, quale Rhenanum est, suppeditant. Id quod Experimento Cl. D. Dörringii, in suis cum Sennerto privatim habitis Disquisitionibus, est probatum. Vini Rhenani enim & Toccaviensis, utriusque sigillatim Mensuræ 24 per Alembicum destillatae sunt; unde post Destillationem Rhenani, remanserunt Tartari Unicæ tres, vel Drachmæ 24. Ungarici verò vix drachmæ duæ.

§. 3. Et quid quæso est, quod tantâ ambitione, tantoq; in Chimicis nisu Sal volatile quoddam Tartari, magnis in Medendo scopis inserviturum, hodie quæritur, si ab eo, quod Natura ipsa ad peculiarem aliquem gradum Puritatis & Subtilitatis evexit, ut blandulè ac occultè in Poris Vini generis natet, & jucundè bibatur, tanquam à Lupo mordaci aut Cerbero, nobis metuendum sit?

§. 4.

§. 4. Deinde Vini Tartarus quò Crassior copiosiorq; est, eò minùs periculi ab eo, ne ad Partium penetralia transvolet. Dum enim quod in Vino ipsius utcunque Spirituose exstitit, vi Digestionis abripitur, potior Tartari pars, ob crassiorem Texturæ suæ conditionem, Ducem suum haud æquè sequi apta, in Viis Alimenti primis communiter residet, & pro diversâ aculeati Salis misturâ aut Terræ prædominio, vel Cremoris Tartarei, Arte facti, quodam subit officium, Alvumque blandè stimulat, vel obstructionum quoque quarundam Autor fit: qualia ob calcosam diathesin censentur esse Bohemica: & Vina rubra crassissimula, ob Tartari abundantiam, indolemque sylvestrem, vulgo suspecta sunt; maximè ideo, quod recentia sint, & ætatem diu non ferant, uti sunt quædam Tyrolensiæ.

§. 5. Ult proinde Noxa, quæ Vinis tribuitur, ad Summum videatur duplex; Vera Una, consistens in Sulfuris aut Spirituum Exaltatione, Acidivè Excessu, aut Ramentis Tophaceis invisibilibus, clàm subrepentibus in Venas; altera Putatitia potius, ac plerumque falsa, quam Tartaro visibili crassiori imputant.

§. 6. Numquid verò cretaceum quid Articulis passim non impingitur, etiam in iis, qui vel Podagrī non sunt, vel per vitam moderatiūs actam, nihil aut parum Vino indulserunt! Imò certè Pedestrīs hic Morbus æquè alteribi, ac in Bacchi Dolio concipitur: notaque existit Kiliae Disputationis Præsidi, Fœmina plusquamquadragenaria, curæ suæ subjecta, maximè sobria, vexataque Doloribus Scorbuticis, cui Calx nitidula ex Digitorum juncturis iteratò erumpit, & per Vulnusculum Cutis potest eximi.

§. 7. Et ab Alimentis quibusvis aliis adeò nobis cavere non possumus, quò minùs sex iis vel viscosum quid, vel Terra,

ra, vel Tophus, vel Fæces, ad Sanguinem penetrabiles, per Oscula Lactearum subinde in opere Digestionis transeant, atque sic ultra Vias primas translatæ, à Vectore Spiritu, intercedentibus Causis aliis, in Podagrificum Congelamen mutari possint. Ergo Panem, & Pisces, & Carnes, & Ova, & quid non aliud, interdicemus Podagricis? Aut certè haud aliis, nisi talibus Alimentis per Vitam utendum erit, quæ nec Atomum Terræ, Venis tribuant.

§. 8. Quæ Alimentorum Fæces, tum demum in Partibus separantur, & Sal acutulum, authirta Terra, nunc huc nunc illuc, maximè verò ad Renes, aut loca articulatia, membranosavè, à Corderemotiora, deponitur, postquam Spirituum impetus, ad ὄργασμὸν anteà actorum, deflagraverit; ut cæteroquin in Locis Thermarum vicinis, Topho passim crassissimo incrustatis, vel intra Pharmacopolium, in Essentiis vel Extractis liquidis, exhalante sensim eorum Spiritu, qui particulas resolutas suspensas tenebat, sed spon-
tē dein præcipitabilibus, videmus.

§. 9. Quò itaque Vina sunt generosiora, crebriùsve aut copiosius hausta, eò plus Terræ & Salis fusi, ex Alimentiis evehunt, Spiritusque Sanguineos (vel ut alii loqui malint) Sulfur Sanguinis irritant, cum Indifferentià ad Tartarum Fluoris sui proprium, paucum & copiosum: Prout Podagrici quoque haut pauci habentur in Poloniâ ac Russiâ, ubi tamen plus Spiritus Vini, Mulsæ, vel Succi Fructuum fermentati, quam veri Vini bibitur, & de Tartaro horum Potuum ne semel cogitatur.

§. 10. Dumque Vinum non-potens à Canonistis, cæterà rigidis, Seni Podagrico tandem conceditur, quo tanquam blando Nectare, tremebundas partes reficiat, utroq; pollice clām quasi confiteri videntur, præcipuam vini no-
xam,

xam, non tam in Tartari cumulo, quam Turbis, per Vinum copiosius sumtum in Sanguinem introductis, querendum esse: cuiusmodi Vina Generosiora maximè sunt Hungarica, quorum ergò præcipue hæc dicimus; Vinum Album Hispaniæ, Sectum vel Secco dictum; Petri-Simonium, itidem Hispanicum, ex palmitibus Germaniæ ante ipsos Ducentos Annos aut plures, eò transplantatum; aut in Campaniâ, felicissimâ regione Italiæ, Vin Greco de Somma, vel Montis Vesuvii, sincerum, valdè potens, tenui, colore Auri, ad Urinæ vias, in benè-perspirabilibus statim transiens; Vina Gallica haut pauca; & multa alia.

§. II. Contrà, quæ vel Crazeos Temperatoris sunt, vel saltem moderatiū bibuntur, exiguo Sanguini impetus imprimunt. Quo censu apud Italos nisi Vicentium, (à Vincentiâ, Urbe Dominii Veneti) il Marzemino dictum, distictus istius facilè delicatissimum, & potius inter crassiuscula Rubra ponendum sit; ex omnibus certè circa Romam crescentibus, optimum est Albanum, in Sanitatis tutelâ familiare Pontifici. In Germania verò post Rhenanum aut Bacharcense (tanquam ad Bacchi Aras natum,) vel etiam post Franconica quædam, & Mosellana, quæ Aquæ misturâ minùs indigent, minimas omnino Particularum, intra Venas Seditiones faciunt Neccarina; nisi quis curæ, Ori, cordique habere velit tritum illud: More Palatino bibimus, ne Guta supersit &c.

§. 12. Ita nempe à Reatu grandi liberata maximam sui partem tandem putamus Vina Hungarica, Imperatorum ac Regum mensis digna, (etiam Podagricorum) si moderatè & cum cibis sumantur. Toccaviensia præsertim (ex superiori Hungariâ) lætè crescentia, ubi Auri Venæ subtus scatent, Vitesque Aureolis Auris imbunt. Ex Vecturâ terre-

stri quoque augmentum vigoris captantia, quod Oenophorum observatione liquet: nec cedentia quicquam cognatis sibi, quoad dulcedinem nativam, puritatem generosam, ac Vires, vel Vino Secto Hispaniae, anteà dicto, vel Vino Syriae de Alepo, vel Smyrnensi aureolo.

§. 13. Quorum posteriorum vices, tanquam vulgo minus venalium, in imbecillitate Ventriculi, tenebunt, Vinum Malvaticum, quod pro Cretico in Germania venditur; Muscatellinum rubrum, in Latio celebre, sapidissimumq;; Rhæticum Veltelinum, Vallis Teliniæ; Rosaceum Fori Iuli, certans cum Vinis Campaniæ; & plura alia.

§. 14. Quorum haustuli si tandem in ipso Podagræ Paroxysmo (coeteris paribus) anhelanti Ægro cedantur, ecqua tandem ipsi cum Medico altercandi Causa erit?

Theſ. XXII. Ira, ac Venus, eodem Modo, quo Vinum potens crebrius sumtum, Podagram concitat.

§. 1. Non præcisè materialiter videlicet, prout de Vino opinio est, particulas Salis pungitivi Nervosis partibus impingendo; Sed dispositivè, ac merè occasionaliter, quatenus Oestro Furoris aut Amoris, universus Corporis Sanguis in Effervescentiam anomalam, Saliaque ipsius aut Sulfura, ab irritamento quovis facilè mobilia, aut Luculæ, in orgasmos perrapidè cientur.

§. 2. Quam Spirituum & Cruoris Agitationem insignem, sequitur aut comitatur hoc, ut cocta cum incoctis, digesta cum crudis, aliquo ordine transferri per Venas cœpta, efferis Motibus his confusim agantur in Vortices, fiatque dein Crassorum à Tenuibus Separatio, sicut Cerevisia recens,

recens, & Vinum, non defœcatum affatim, agitatumque
impense, Crassamenta undiquaque deponit in Dolio, Tarta-
ro latera, Fœcibus fundum potentibus; quæ abscedunt hoc
promptius, quò liberior simul per Foramen fortè aut Ri-
mam, Spiritibus agitatis patet exitus, utpote quorum Ex-
pansoria vis, Particulas crassiores aut fœculentas anteà, in-
tra Poros liquoris Aquosi, in statu pendulo aliquandiu ser-
varat.

§. 3. Atque sic ad Veneris Exercitia crebriora quod
attinet, Tres ipsam utique Effectus similes, Sanitati minùs
proficiui, sequuntur: Vibratio confusiva videlicet Sanguinis
& totius Corporis, in flagrante isto ac rapido Amoris incen-
dio adeò valida, ut vel referat Semi epilepticum quid, Spi-
rituum præstantissimorum ejaculatio vel Jactura, cuius cul-
pâ Robur Articulorū infringitur, ut congestioni humorum
dein resistere non possint; & Sedimentum tandem Mate-
riæ ignobilioris, plus minùs sensim abscedens, quorsum cun-
que pro diversâ Partium Texturâ potest. Unde Hippocrates
Pueros vel Eunuchos ab hoc morbo immunes pronunciat,
vi. Aphor. 28. & 30. ex eo, quod ad Venerem inhabiles sint.

§. 4. Per Iram verò, quæ verbis Hofmanni, est tan-
quam Ventus in Mari, etiamsi ex dictis tribus Effectibus Insa-
lubribus medius, h. e. Spirituum Elapsus, haud æquè ubivis
conspicuus sit; certum tamen est, ipsos per excandescentiam
illius ad deflagrationes inordinatas in corpore diripi, tanquā
Fulmine, quas deinde sequitur Crassamenti in Partem ali-
quam depositio; Fluidum quidvis hinc inde insigniter tur-
bari; & fieri Bilis præsertim Exagitationem, ut quasi in Tor-
culari compressa reaffundatur Sanguini, Ichoresque illius
in Podagræ exacerbationem pronos, mordaciores reddat, &
acriores.

§. 5. Qua occasione obiter hic (forsan tamen haud inutiliter) notetur, quām falso passim Ira ex abundantia Bilis oriri putetur, & Iracundi, Bilioſi dicantur ex Temperamento, tanquam Causā præcipuā istius Affectūs aut Fomite; cum potius Diluvium Bilis, necessariò esse debentis in cūjuscunque etiam Temperaturæ Homine sit ab Ira.

§. 6. Id quod observatum quoque videmus à Joh. Sophronio Kozack, qui in Tractatu de Sale (cap. 10. Sect. 19. pag. 472.) eleganter hæc infert: Non exile iram, sed extra bilem augeri certius est, quia omnia sensibilia ex Insensibilibus surgunt centris. Columbus dicitur carere bile; & tamen est animal valde Iracundum; Si rostrum & ungues Aquilinos haberet Columbus, revera ipsa aquila esset damnosior, nam Spiritus ejus merum Sal est vel ignis, ideo excrementa maximè sunt biliosa, & calci vivæ parallela, nam sæpè ex illis magna surgere solent incendia.

Theſ. XXIII. Antipodagricorum Medicaminum vulgo major gloria est, quām Virtus.

§. 1. Non Pagina una aut altera, sed integrum Volumen concipiendum, & negotium certè futurum esset, amoenitatis ac utilitatis plenum, examen diligens instituere, ac inquirere tam in Præparationem, quām Modos agendi multiplicium illorum Medicaminum, quæ vel Scopo mendendi generaliore, vel tanquam Specifica, nostro præsertim tempore, ad Arthritidem passim celebriter adhibita sunt, vel etiamnum adhibentur: sed, si Tempus etiam suppeteret, ratio tamen præsentis Instituti Disputatorii id non ferret.

§. 2. Idque saltem in genere monemus, si ullibi quid valet

valet circumspecta Medendi Methodus, peculiari notitiæ Humorum, Salium, & Perspirationis, quæ in Individuo quovis habetur, superstructa; in Podagræ Curatione valet, tanquam Secretum omnium secretissimum.

§. 3. Quo magis Specificis, quæ magno hinc inde venduntur precio, sanctiusvè creditur, & in iis Desiderii omnis ac Spei anchora firmatur, hoc plerumque longius à Scopo præfixo receditur; cum amplius quid de illis exspectetur, quam in ipsis est: ut videlicet modò dicta Specifica, cuius Ætati, Temperamento, Partium Texturæ, Causæ Morbificæ Indoli, & Accidentibus, indistinctim accommodent se, tanquam Chamæleon Colori.

§. 4. Quem errorem damno suo expertus est, inclusus Uladislaus IV. Poloniae Rex, in exemplum Arthritico-rum hic jure statuendus; qui ut habetur in Appendice ad Annū IV. Curiosarum Ephemeridum, pag. 314. ab Anno ætatis trigesimo, præter Dolores à Calculo Renum, Vesicæ, & Colicos, sæpiissimè acerbissimèque cum Arthriticis Doloribus conflictatus, & à doctis proinde, indoctis, anxiè poscens auxilium, quidvis undique tantis sumtibus admisit, ut spacio aliquot Annorum, Pecunias, Prædia, Torques, Annulos, Cimelia, ac alia preciosa lubens erogando, ultra Sexies centena Millia Florenorum consumserit, vix tamen quid obtinuerit amplius, quam ut post impetratas lenes aliquando inducias, recrudesceret subinde malum; preciosissimaq; Arcana adhibita, vix aliquid amplius, multoq; minus in iteratâ tertîâ adhibitione effectum darent, Opiatis aut Anodynis aliis additis, ad tempus quidem dolorem lenientibus aut tollentibus, radicaliter tamen Causam ejus non everrentibus; sed palliantibus Morbum tantisper, ne aliquandiu sentiretur.

Theſ. XXIV. Et Modus Curandi per Resolventia, censetur omnium opti- mus tutissimusque.

§. 1. Hoc est, si tamen in genere aliquid, extra Casum Specialem propositum, determinandum sit, observationibus haut destituti existimamus, in rectâ Resolventium administratione, potiorem Curationis Cardinem consistere, tanquam Tumorū Termino omnium optimo ac tutissimo.

§. 2. Ut tamen auxilio hoc Æger eò citius ex fluctibus acerbæ suæ ægritudinis emergat, peritus Medicus cogabit, Resolventia pungitivam Colluviem, non quævis ubivis prodesse, aut quovis tempore.

§. 3. Multò minùs Suppurationem exspectabit, utpote quæ hīc rarò accidit, cum Podagra irresolubilis, in Tophos aut Nodos frequentius concrescat.

§. 4. Quibus colligendis immoderatior præsertim, aut calidiusculus, etiam Resolventium extēnorū usus, non rarò occasionem dat, & facile procurabilem ab his Evaporationem tenuioris, coagulationemque crassioris materiae subministrat.

§. 5. Vel è contrario etiam, si Resolventia sint imbecilliora, eadem mox mox redduntur à uerga: Materiam peregrinam, cœterà resolubilem, utcunque à sedibus suis movent, sed ad perfectam difflationem sui non promovent.

§. 6. Ut hinc sit certa Moderationis lex tenenda, ad quam peritus Medicus, præsentis Ægri curam habens, perspectis ritè Circumstantiis omnibus componet se, & pro harum varietate, variabit quoque ipsamet Medendi admicula.

§. 7. Ac

§. 7. Ac speciatim quidem locum Resolventis Interni tempestivè complebunt Sudorifera ac Diaphoretica : eaque vel sola, vel in fœdus cum peculiari, satque explorato Salium fixorum Dissolvente euntia ; quale fuisse scribitur Clarissimo in Poloniâ Regio Medico, D. Andr. Cnœf. felio, qui solâ Tartari Resolutione, Balsami naturalis conservatione, & Partis affectæ Roboratione, curam Podagræ absolvı ratus, in Curationibus suis Unicum omnium Salium solvendorum Arcanum præcipue in deliciis habuit, cuius præparationem ne Regi quidem, notabilem æris summam offerenti, aperuit, ut ex Appendice ad Annum VI. Ephemeridum Curiosar. pag. 146. liquet.

*Thes. XXV. Inter Resolventia exter-
na, Moxa Chinensis hodie princi-
patum tenet.*

§. 1. Longè verò supra Gloriam Europæorum Medicinum Antarthriticorum quasi omnium, novissimè evahi cœpit Lanugo quædam aut Villago Chinensium, Moxa dicta; cuius Inustione in Cutem Partis affectæ, tamen hi, quam Japonenses, incantamenti instar, non Podagricos plerosque solum, Sanitati restituere assolent; sed ægromrum plurium aliorum nullis non Partibus dolentibus applicant, (exceptis Oculis) in Morbis, à frigido vapore ortis.

§. 2. Res ita se habet, non ignota quidem Medicis hodie, & Ægris Podagricis præsertim, utcunque lautioribus, quorum aliqui passim eam non sine successu adhibuerunt: juvabit tamen in gratiam eorum, qui non-Medici etiam, aut non-Podagrici, conflictui Disputatorio publicè aderunt, totam rem in Compendium quoddam reducere,
post-

postquam prolixiusculè, ac Idiomate Belgico (ab aliis dein Germanicè reddito) illius notitiam, è Bataviâ Belgarum Indicâ, primus Orbi nostro suppeditavit Hermannus Buschius, Pastor ibidem veteranus, propriâ ductus Affectionis, antea-desperatae, sed per Moxam curatae, Experienciam.

§. 3. Est videlicet Moxa, ut diximus, Lanugo vel Pubes quædam Vegetabilis, parata ab Indis, vel ex peculiari Herba quapiam, cuius nomen ac modum parandi ad alias Gentes propalari vetant; vel indifferenter etiam ex tomentosis Herbis pluribus, inque Turunnas pyramidales (ut latior pars Cuti insistere possit) efformant.

§. 4. Cujusmodi Turundarum duas, tres, aut plures, tanquam Cauteria actualia totidem, Parti Arthriticorum Dolenti successivè impositas, supernè accendunt, ope admoti ardentis Bacilli Aromatici; & sic Ignis citissimè concipiatur. Unde Chinenses præterea Moxam loco Fomitis familiariter in Ignitabulis suis adhibent; nec Inustio durat longius, quam ut aliquis ad quinquaginta numerare velit.

§. 5. Hincque Dolor transit intra Horæ dimidium, exhalante odore tetro, à quo aliquem in Deliquium Animi incidisse, Autor asserit: (oportet enim Exotica paulum præ ceteris exaggerare.)

§. 6. Atque sic Vulcanus in eo negocio optimus Faber est, Ægros à compedibus suis liberans, Radiaturâ Ignis nimirum, Poros cutaneos citò pervadente, hinc blandè primùm, posteà aliquantum acriùs, occupante Partis Affectionis particulas, excutienteque ex diverticulis suis hostiles copias, h.e. Sal Podagrificum, Fœcibus viscoso-terrenis plus minùs, circa Articulos immersum resolvente, ut id Hominem affligat mitius, depositâq; temporariæ Aciditatis larynx, ad pristinam quam in Sanguine antealhabuit, Auræ acri-

Salino-

Salino-volatilis formam, tanquam Phœnix ex cinere, redigatur.

§. 7. Extrinsicus vero Pustulas ulla ex Ustione induci dictus Autor expressè (de Podagr. part. 2. cap. 5.) negat & pernegat; Maculam fuscam tantum & spadiceam, remanere scribens: id quod Puritati Ignis adscribo, qui citra Sal solum non amburit.

§. 8. Post Ustionem, Allium tufum imponitur, ac super illud Pellicula Allii madefacta. Si tamen Vesicula postero die appareat, rectè laudatus Autor aperiendam docet, nec violenter separandam esse Escharam, ut Humor eò citius divaporet; sed calidè Folium Plantaginis imponendum, usque dum illa spontè decidat.

Thes. XXVI. Operatio ista tamen ad eò nova, aut abstrusioris Indaginis non est, quin aliquid pridem notius involvat.

§. 1. Ad Ambustiones enim ab Igne vivo, vel Cera ardente Signatoriâ, sicut inter præsentanea Remedia referuntur, ut aliquis citò saltem vel Digitum ambustum calidis Faucibus ingerat, vel Prunis propè admoveat, quò Sanguis, in Spacia Partis ambustæ affluxurus, patentiora actutum diverticula inveniat, ne pars tendatur, doleat, aut tumefiat:

§. 2. Vel presiùs: Sicut in Principio Erysipelatis Rustici superioris Germaniae Locum affectum Cretâ tritâ adspergunt, & ex concussis invicem Ferro ac Silice, Scintillas Ignium ad eandem dirigunt, quibus saepius impingentibus eò, Tumor ac Dolor cessant: redeuntque illi inoffensim

ad suetas operas, particulam Rohob Sambucini dehinc forbendo; quæ Curatio per quam - compendiosa est:

§. 3. Ita speciatim, postquam Modus agendi de Maximo animo, nisi fallimur, semel jam comprehensus, est, Superstitiosum profectò foret, ob solum defectum illius (caro precio constantis;) operationem utilem intermittere; cum Gossypium, ut flammæ sustinendæ par fiat paratum, vel Lanugo vegetabilis quævis alia, aptè formata, (& vel Spiritu Vini priùs imbuta, siccataque) eidem litare possit officio, atque Escharam procurare, quâ submotâ Poda-grifici Seri portiuncula foras eat.

§. 4. Tum & parùm refert, utrum Bacillus Aromaticus ac Suaveolens accensus, quem Indi, Munditiei magis, quām necessitatis ergo assumunt, vel Sebacei, Cerrei, Chartæ, aut alterius rei incensæ Flamma, ad incendendam Moxam adhibeatur.

§. 5. Quod verò Bernh. Wilh. Geilfusio, sub initium eruditæ cæteroquin suæ Disputationis de Moxa, Marpurgi Ann. 1676. habitæ, Móxæ vel Fungi, per quos urendi modus apud Hippocratem olim usitatissimus fuerit, aliquam cum illâ ut Nominis quodammodo, sic consistentiæ mollis similitudinem habere creditur: id mera tantisper Conjectura est, Dubio triplici involuta; (1) quod Chirurgia Veterum valde rudis extiterit; atque sic (2) Ferramentis plerumque negocium suum perfecerint, tām in Superficie Corporis, quām inurendo etiam intimiora: & (3) in Casu Fungorum adhibitorum, Fungos fortè Igniarios adhibuerint, Ignem diu servantes, ac tractabiliores. Loca ipsa Hippocratis evolvere, & in crudeles istas Veterum Ustiones, quantopere scilicet ab Inusto Moxæ distent, conferre possemus: sed temporis ac chartæ rationem habentes, calamus abstinemus.

Theſ.

*Theſ. XXVII. Neque cæteroquin U-
ſus ejus Inuſtioneſ planè indemnis
eſt.*

§. 1. Quin imò Incommođum ex Moxâ hoc relinquitur, ſi Operatio ſæpiùs iñſtituatur, ut vel Sero acri tenui, ad Diverticula cutanea irruenti, natura adsuescat, ex quo Malum, datâ leviculâ occaſione perspirationis prohibitæ, potest recrudescere:

§. 2. Vel Eschara ſemper crassior reddetur, uſq; dum Cutis occallescat penitus. Neque Eschara identidem alia in posterum, niſi auctioribus flammis, excitanda erit: Ægroq; totum denique negocium id, intolerabile reddetur, ac tædiosum.

*Theſ. XXVIII. Curatio item Podagræ
per Lac, ſpecioſa & temporaria ma-
gis eſt, quam ſolida aut conſtantis.*

§. 1. Dum hinc inde nihil amplius ſuppetit, quod Podagricis miseriſ aduersus reciprocantes Dolorum Serras opem ferat, ad ſimile tandem Primo omnium Potui ſolent confugere, ad Lac. Quod Inventum eſt antiquiſſimum, poſteſt à negleſtū utcunq;; noviſſime verò iterum inter Magnates ac alios, non ſine pompa in Scenam Medicam introductum.

§. 2. Quod opus ne ſine Methodo aggredi videantur, hunc circiter ordinem, cum Cautionibus interpositis, obſervant, ſparſim detectum à diligentiſſimo Sachſio in Anno Primo Curiosarum Ephemeridum (obſ. 141.) à nobis verò hīc paulo diſtinctius digeſtum. Niſi mirum (i.) Lac cor-

poribus valde impuris dandum haud esse (2.) utque respi-
ciendum inter alia ad Aegri consuetudinem; sic (3.) Vor-
aci præcipue Homini, ne rigida hæc diæta ipsi gravis red-
atur, Lactis curam haud esse præscribendam.

§. 3. Hinc(4) ante usum Lactis ab obstructionibus Cor-
pus congruè liberandum: ac (5) sensim dein ad Pultes &
Lacticinia deveniendum, usque dum Natura lacti plenè
adsueta fuerit.

§. 4. In ipso verò usurpatiōnis curriculo postmo-
dūm hæc tenenda: (6) Abstinendum (in principio præser-
tim) à reliquis Alimentis omnibus, excepto, quod circa
meridiem Panis accipi potest Similagineus, & in Lacte tin-
gi: (7) à pane fermentato autem penitus abstinendum, ne
Lac caseascat; & quovis tertio die, vesperi sub decubitu,
Pilulas ex Aloë aut stimulantes alias sumendas, nequid si-
nistri inferat subrepens Alvi Obstructio. (8) Singulisque
10 vel 15. diebus blandum ex Foliis Sennæ ac Mannâ laxans
utiliter adhiberi: (9) aut, si lactis usu Venter stipetur, ma-
nè in primo haustu grana xv. vel xx sumenda esse Rhabar-
bari.

§. 5. (10) Vernoque imprimis Tempore incipien-
dum, utpote quo Herbae Succis maximè turgeant: & (11.)
continuandum trimestri Spacio, quod aliqui ad Annum
& amplius extendunt. Sicque (12.) quotidie horis 4. aut
quinque ante prandium bibendas Lactis uncias Sex, ad vi-
ginti: & (13.) totidem Uncias lōco coenæ: (14.) posseque
dein, ubi Natura illud perferat, dosin ejusdem quotidie au-
geri: & (15) quidem ad ipsas uncias quadragenas denique:
aut (16) ad eam Quantitatem pervenire, quam Ventriculus
optimè fert: qui (17) si debilior sit, quater & quinques po-
tius de die, ac parum semper, quam bis ac confertim bi-
bendum.

bendum.(18) Ast desistendum aliquando iterum, si Febris
aut Dolor superveniat; cuius Remissio prius exspectanda:
(19) Et circa Postremas Septimanias, à Lacte ad Pultes & La-
cticinia, ab his ad Ova Sorbilia, sensimque demum ad Ci-
bos alios, sed minus Salsos, redeundum.

§. 6. (20) Interim vero, eligendum esse Lac Vaccini-
num, vel Asinæ. Et (21) quidem Vaccæ nigræ aut rubræ:
(22) nec prægnantis, nec senis: (23) Imò potius talis, de qua
Vitulus jam sublatus sit: (24) quæq; Pascuo committatur lætè
herbido ac sicco, non uliginoso. Lacque debere (25.) esse
calens ab Ubere, quam possit fieri: aut (26) ejus loco leniter
coquendum.

§. 7. Ita vero cadavera quasi cadaveribus accumulan-
tur in corpore: reputando, jam plurimum ejus esse, quod
de Spiritibus melioris commatis è Lacte evanuit, postquam
pridem è papillâ fuerat translatum. Ideoque non esse id,
quantillum eorum adhuc in Latice niveo superest, super-
venientis cocturæ fervoribus absumentum.

§. 8. Quam facilè enim Lac cadaverascat, expositum
libero Aëri, affatim quemvis doceat, putrilagineus iste ni-
dor, agminatim Nares feriens, si quis bene diductis ea um-
Alis, Cameras Lactis, vel Rurales ejusdem Apothecas, saltem
introeat.

§. 9. Insuper Canonistæ novi ipsimet palam confi-
tentur, quædam à Lacte Incommoda, quibus sic obviam
eundum docent: (27) Lacti nempe jungendum Saccharum, si
periculum sit, ne acescat, aut in stomacho coaguletur. (28)
Si vero Ventrem reddat nimis Fluidum, addendum aliquid
Salis, aut Lac cum crustâ panis decoquendum. (29) Sique Si-
tis excitetur extra pastum, Aquam cum Saccharo coctam
præmittendam, vel Lacti pariter miscendam. (29) Si Calor

anomalus corpori superveniat, tertiam partem Decociti
Hordei cum Passulis, Lacti affundendam.

§. 10. Quibus ex Severo hoc Victum oriundis Incom-
modis, denique hoc addendum, constare Expertentiâ, quos-
dam per Lac à Podagrâ Convalescentes, fuisse post aliquod
tempus eâdem correptos iterum. Imò aliquis non solum ni-
hil levaminis persensit, sed in Tunorem Inflammationem-
que totius corporis conjectus est, ut oportuerit iterum ab-
stinere.

*Thes. XXIX. Idque saltem aut præ-
cipue efficitur, ut Serum mordax
Podagrificum in Sero lactis dilua-
tur.*

§. 1. Hoc ut clarius pateat, consideremus sequen-
tia: Lac etiam optimum h. e. pingue, dulce, candi-
dum, æquale, (quale hic maximè præsupponimus) Humor
aliquis extra corpus Bruti lactentis, Seperatus; itaque plu-
rimum boni sensim ipsi decessit, & magna pars particula-
rum balsamicarum inde trasniit.

§. 2. Dein in ipsomet corpore, antequam candicans iste
Latex ex eo emulgéretur, erat quidem ac dicebatur Humor
nutritius: Veruntamen non perfectivus sed inchoativus,
& Sanguini confusus quidem, indeque peculiariter in glan-
dularem texturam überum transcolatus; nondum tamen
plusquamperfectus, aut imò unitus Sanguini; tantum
abest, ut corrigere dehinc, multò perfectiorem Sanguinem
humanum possit.

§. 3. Deniq; Præstantiores Lactis particulæ, quales censem-
tur

tur Volatil-alcalinæ, summè digestæ, dulces, pingues, oleosæ, aut Butyraceæ, & quæ demulcendi utique non ignobilis habent vim, ita ut ab iis auxilium aliquod sperare Podagrī habent, & haut raro obtinuerint; comparatione factâ ad reliquas Caseofas, terrestres ac indigestas, Salinas fluxas, ac facilè acescentes Aqueasque omnium copiosissimas, Lac materialiter constituentes, oppidò paucæ sunt, imprimis in Lacte, quod aeri aliquandiu expositum sit.

§. 4. Et ob istud serosarum Partium prædominiū accidit, ut lac copiosius assumptum, acutulas Seri Podagrifici portiones, nervosis partibus incumbentes, sensim utcunque diluat, sicut Pictor saturati Coloris Pigmentum, in oleo vel aquâ discontinuat, non verò propterea planè tollit.

§. 5. Ex quo Ægri se magnum quid impetrasset existimant, atque ad aliorum quoque Exempla successus prosperi provocant: tempore Recidivæ verò dein iterum alter sentiunt, quod Salia Sanguinis aculeata tanquam Scorpiones exiguos totidem, non tam plenè è sinu dimiserint, quam dinatantia divulsim tantisper, in Poris Humorum gerant.

Thes. XXX. & ultima: Pythagoræismus ac Prima Species Arithmeticæ, nobilem quoque inter Auxilia anti-podagricalocum promerentur.

§. 1. Quinquennale Pythagoræorum Silentium, sive omnimodum fuerit, utin Schola Præceptoris muti magis quam

quām Piscēs existerent, sive pēr intervalla tantūm ita comparatum, ut Discipuli non auderent, toto eo tempore, ulli Doctoris Effato mōvere liticulam, sed Judicii assensum aut dissensum, suspensim tantisper haberent, usque dum Animo maturescerent; id equidem nobis est perinde.

§. 2. Nam saltem id volumus, ad Imitationem illorum, Podagricos quoq; in Lecto habere egregiam Scholam Sapientiæ, si patienter modò velint attendere, quām fidelis manudoctor ad Poësin, ad Mathematicam, ad Picturam, ad Musicam, & Meditationes subtilissimas quasvis alias, Ipsius Quies sit.

§. 3. Aut minimò in sævissimis doloribus Animus ultrò abripiatur, ut Pulsus in Corpo Manus numeret; quot scil. Millia eorum exigantur unius horulæ Spacio? quantumque Sanguinis eodem tempore successive per Pulmones ac Cor transvasetur?

§. 4. Certissimum est, Morbum hoc ipso falli, Men- teque his aut aliis, non in amoenis cogitandi Objectis placide obrutâ, Somnum subrepere clam, furentemque Dolorem in argutis cœteroquin Articulorum Fibrillis, tanquam Papavere aut Opio assopiri.

FINIS.

De De pni volat. &c. — — Thile — — lebetrost — — Witte
De fonticulis — — — Albins — — Orthlob — — Franc.ad
De ovis daschalibz — — Franc — — Riebier — — Heideh
Positiones hædico variae — — Major — — Aespm — — Kiliae.

